

Ardebant, collapsa licet, tamen aurea tecta;
 Aurataeque trabes, veterum monumenta Parentum;
 Templorum decora, atque antiquæ insignia gentis.
 Quin etiam lapides flamma liquefacta per ipsos
 Auri, atqne argenti vis ingens, divitiæque
 Manabant rivis ferventibus, atque fluebant
 Latronum in prædam; nam protinus undique lapsi
 Illi vicinis e montibus adveniebant,
 Et collecta domum spolia ampla impune ferebant.
 Denique in excidio tanto, infandaque ruina,
 Quis superare datum est, alias pars querere terras
 Exilio; pars ingenti telluris amore
 Commoti campis habitare patentibus Urbem
 Juxta, & stramineos, pastorum ut turba, penates
 Incolere: e saxis fugiebant namque domorum
 Edita tecta, metum propter, quia crebra tremores
 Mugitusque suos repetebat Terra minaces
 Ex imo: donec non longo tempore ab ipsis
 Surgeret Urbs, Urbisque prior Fortuna ruinis.

H E N R I C U S N E W T O N
 Anglus

INTER ARCADES
 ARGESTES MELICHIUS



IN VILLA M IMPERATORIS
 HADRIANI TIBURE

EPIGRAMMA.

T Empla, Theatra, Hospes, Circumq; & Balnea spectas;
 Delicias Hominum, deliciasque Deum!
 Hic quoque ut in mediis Academia surgit Athænis;
 Et renovat veterem Porticus ampla stoam.

At